

pe Theophilum citavimus: sic enim in utroque exemplari reperimus, cum Anticensoris adjectione, quem nostri nunc Antecessorem vocant. Putavi autem aliquando eum hunc esse Theophilum, qui & Latinarum Institutionum cum Tribuniano & Dorotheo auctor fuit; movebat me, quod Justinianus scriberet, illum Constantinopoli optimam Legum gubernationem extendere; nec enim est aliud hæc interpretatio Græca, quam quædam Latinarum Institutionum extensio: quamquam aliud fortassis extendendi verbo Justinianus intellexit, & vix hoc, ipsum Theophilum in operis Proæmio taciturnum fuisse arbitror, præsertim quum non sub Imperatoris persona, ut in Latinis, sed Interpretis cuncta narrentur. Quicumque autem iste fuerit, non est dubium, ante multa eum sæcula vixisse, proximumque fuisse Justiniani ætati, quum adhuc veterum libri extarent, ex quibus pleraque intelligi poterant, quæ nunc detruncata abbreviatæque magnam obscuritatem atque ambiguitatem pariunt. Nam quod vulgo jactatur, Justinianum post novam Legum compositionem, antiquorum Jurisconsultorum concremassè monumenta, nec verisimile mihi unquam visum est, nec (ut arbitror) verum est: nullum enim ejus fide dignum testimonium adfertur, & multâ diversam humanioremque suadent sententiam. Ita & Franciscus Broëus in Chronologia Juris.

Antonius vero Augustinus tradit, libros IV. Institutionum, ævo ipso, atque jussu Justiniani a Theophilo Antecessore Constantinopolitano, & viro illustri, uno e tribus viris, quibus illos Latine concinnandi provincia demandata fuerat, in Græcum versos fuisse. Quam viri doctissimi sententiam libenter amplector, eamque certissimam existimo: etsi enim libri Institutionum, non sub Imperatoris Justiniani persona, ut in Latinis, sed Interpretis in Græca Paraphrasi sunt expositi, tamen vel hoc unum satis demonstrat, illos ævo Justiniani fuisse compositos, quod interpres Theophilus, ubicumque Justiniani ipsius sit mentio, tamquam de præsentente Imperatore loquitur, nostrum Imperatorem illum appellans. Sic in Paraphrasi constitutionis Justiniani, *qua confir-*
maru-